

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DC LXXXII.

ספר שפתי ישינים

id est,

LIBER inscriptus *LABIA DORMIENTIUM*
Autore R. Schabtai ben Josef.

Amstelodami in 4. Anno 441^{תמ"א}, supputationis
Judaicæ, id est Christi 1681.

Quemadmodum Judæorum Rabbini hodie ad Polymathia
laudem adspirant, & Christianorum excitati exemplo vari-
am sibi eruditionem, indeque notitiam librorum acquirere
moluntur: ita librum hunc, materia multorum annorum labore
conquisita, scripsit *Rabbi Schabtai*, *משורר בס מפרתג* *Bassista Pra-*
gensis, frater celebris inter suos Rabbini, *Jacobi Strimerii*, quorum
uterque adhuc floret, & filii sunt *Sanctissimi*, quem laudant, *Martyris*,
Rabbi Josef. Is ut feliciter institutum persequeretur, susceptis mul-
tis itineribus per omnes Judæorum Synagogas vagatus, celeberrimo-
rum ubivis Rabbiorum Bibliothecas excussit. Exclusit tandem hunc
foetum suum, a plerisque Archi-Synagogis in Polonia & Germania,
cum applausu exceptum, quorum censura & approbationes magno
numero operi præmittuntur. Ad cujus quidem lectionem ipse non
vult quemquam admitti, nisi *præfationem* satis operosam antea inte-
gram perlegerit. In ea autem *usum libri*, quem facit decuplum, pro-
lixè commendat, eaque occasione de disciplinis atque scientiis disse-
rit, tum & methodum docendi in Synagoga Judæorum Hispanorum
Amstelodamensi observari solitam describit, ac rationem reddit tituli
שפתי ישינים *Labia dormientium* ex *Cant. VII, 9.* mutuo accepti.
Ipse liber *Bibliothecam Rabbincam* multo nobis ampliorem exhibet,
quam

Cc

quam

quam Buxtorfii, Hottingeri, Plantavitii, Bartolocci, editæ de hoc argumento lucubrationes, non ignoratæ Autori, quippe parte operis ultima laudatæ. Dividitur in *quatuor partes*.

Prima pars duabus sectionibus absolvitur, quarum *prior* circa תורה שבער *legem scriptam*; *posterior* circa תורה שכתב פה *legem oralem* occupatur.

Sectionis *prior* circa *legem scriptam* occupata, post librorum Bibliorum, eorumque diversi apud Judæos & Christianos ordinis designationem, strictim omne persequitur, quicquid ad illorum tum lectionem, tum interpretationem quoquo modo facit. Atque adeo *Capite I*, singulorum librorum Bibliorum tituli, paraschæ, capita enumerantur. *Cap. II*. recensentur (1) libri, qui vocum difficiliorum per universum Codicem Hebræum occurrentium interpretationes continent. (2) libri, in quibus voces in versionibus Chaldaicis occurrentes exponuntur. (3) Commentarii literales in universum Codicem. (4) Commentarii literales in solum Pentateuchum. (5) Variæ Bibliorum versiones. (6) Commentarii Cabbalistici in Legem, Ruth & Threnos. (7) Dilucidationes præcipuorum Commentariorum Cabbalisticorum, ט"ז Sohar nempe, Rakanati, & Bechai. (8) Commentarii Philosophici in Legem, quinque Megilloth in genere, & in specie in Threnos; item in Psalmos & Jobum. (9) Commentarii Grammatici in Legem. (10) Commentarii in AbenEfram, difficiliorem legis interpretem. (11) Commentarii in Misrachium, alium legis interpretem. (12) Commentarii in Rabbos. (13) Commentarii in Raschi. (14) Commentarii literales simul & Homiletici in Legem. (15) Commentarii in quinque Megilloth, qui tum in omnes universim, tum in singulos libellos seorsim scripti sunt. (16) Commentarii in Haphtaros. (17) Commentarii literales & Homiletici tum in Prophetas priores & posteriores, atque in Hagiographa simul, tum speciatim in Prophetas tantum, & quidem tam in omnes quam in singulos, similiterque in omnia Hagiographa & iterum speciatim saltem vel in Psalmos, vel Proverbia, vel Jobum, vel Danielem, vel Efram & Nehemiam. (18) Homiliarii ad certos libros Bibliocos non adstricti, sed pro ratione materiæ libetius distributi. *Cap. III*. exhibentur (1) Libri precativorum & canticorum, quibus uti consueverunt. (2) Libri Carminum & Poëmatum. (3) Commentarii in

in preces. (4) Commentarii in lectionem paschalem. (5) Libri scripturam legis & Mesusa exponentes. (6) Libri de conscribendis epistolis. *Cap. IV.* commemorantur libri (1.) Genealogici & Historici. (2) Geographici. (3) Ænigmatici & Parabolici. *Cap. V.* Libri (1) Ascetici. (2) Cabbalistici ordine Biblico non dispositi. *Cap. VI.* Libri (1) Grammatici ordinem Biblicum non tenentes. (2) Masorethici. (3) Logici. *Cap. VII.* Libri Didascalici & Consolatorii (1) de redemptione & resurrectione mortuorum. (2) de futuro seculo, & anima. *Cap. VIII.* Libri Critici & variarum Lectionum in quoscunque libros legis tam scriptæ, quam oralis. *Cap. IX.* Libri Ethici de pietate, beneficentia, pœnitentia, & similes. *Cap. X.* Indices Biblici, & quidem (1) dictorum, (2) allegoricarum interpretationum.

Sectio *posterior* circa *legem Oralem* sic occupatur, ut *Cap. I.* recensio operis Talmudici habeatur cum indice omnium capitum Alphabetico. *Cap. II.* recenseantur (1) Commentarii in Mischnam (2) Commentarii & Dissertationes in Gemaram, in Commentarium Talmudicum Raschii, & in Tosephos. (3) Commentarii in librum Hen Jacob, & cæteras Aggadas, uti & in Talmud Jerosolymitanum. (4) Commentarii in Pirke Abhoth. *Cap. III.* Libri (1) Arithmetici. (2) Astrologici de embolismis, iisque omnibus, quæ ad dierum, mensium, annorum, noviluniorum rationem spectant. (3) Sphærici & Astronomici. (4) Philosophici non juxta legis ordinem, sed libere per capita, & pro ratione materiarum dispositi. (5) Cheiromantici. (6) Magici. (7) Necromantici. (8) Onirocritici. (9) Musici. (10) Panosophici. *Cap. IV.* Libri (1) Dogmatici de fundamentis fidei & tredecim articulis. (2) Polemici pro Judaica fide vindicanda. *Cap. V.* Libri (1) rituales. (2) Indices consuetudinum, legum, statutorum, aliarumque rerum in Gemara contentarum. *Cap. VI.* Libri (1) Quæstionum & responsionum de rebus Juridicis. (2) quæstionum & responsionum de rebus Philosophicis & ænigmaticis. *Cap. VII.* Libri (1) Medici & Physici, circa naturam hominis, brutorum & volatilium. (2) de gemmis. *Cap. VIII.* Libri Cabbalistici de Rasche tefos, Gemetria, & Notarikon. *Cap. IX.* Libri (1) Juridici secundum ordinem Gemaræ, vel Alphesium dispositi. (2) Alii secundum ordinem Arba turim, vel Schulchan aruch, vel Lebuschin, (3) Alii secundum ordinem Mischnæ Torah Majmonidis. (4) Alii

secundum ordinem sexcentorum & tredecim præceptorum. (5) Alii pro ratione materiarum libere dispositi. (6) Alii speciales secundum singulas partes libri Turim dispositi, vel juxta Orach chajim, vel Joreh deah, vel Eben haæfer, vel Chofchen hammischpat. *Cap. X.* Libri (1) Ifagogici in Gemaram. (2) Architectonici de tabernaculo, templo, & vasis sacris. (3) Germanici, vel alterius idiomatis, sed literis Rabbinicis excusi. (4) Methodici de studio tam Biblico, quam Talmudico feliciter tractando.

Secunda pars ordine alphabetico libros Rabbinicos suis titulis designatos, eosque circiter bis mille ac ducentos recenset, annotatis ubique cujusvis libri argumento, Autore, editionibus.

Tertia pars שער בת רבים inscripta tribus sectionibus constat. *Prima* Autorum nomina indice alphabetico exhibet, & ad secundæ partis paginas, in quibus eorum opera hinc inde titulorum ductu dispersa sunt, remittit, simulque annotat, quo quisque seculo floruerit. *Altera* (e libro Juchasin excerpta) nomina Doctorum omnium, quotquot in Mischna & Gemara sententias dixerunt, & initio quidem Mischnicorum separatim, deinde & Gemaricorum, ordine alphabetico commemorat. *Ultima* inde a primo Synagogæ Magnæ tempore per secula Rectores Synagogæ, postea Doctores Mischnicos, qui ante & post Urbis ac templi desolationem fuere, hinc Gemaricos, porro Seburæos sive Scholasticos, ac tandem Geonæos, ad ductum libri Zemach David recenset.

Quarta pars inscribitur שער החיצין *Porta extranea*, & comprehendit libros a Christianis in literatura Hebraica vel Rabbinica editos, eorumque titulos, autores, argumenta, editiones indicat.

Cæterum laudandus Autor est non modo a diligentia, quam in colligendis consignandisque libris prorsus stupendam adhibuit, sed & ob elegantiam styli Hebraici in præfatione insigniter comprobata. Idque fertur nunc dare operam, ut in eorum gratiam, qui Rabbinismi adeo gnari non sunt, hic ejus liber Amstelodami in linguam Latinam transferatur. Edidit & opuscula alia: in primis vero Pentateuchum Hebraicum cum Targum, & commentario Raschi, collectisque in Raschium notis e variis biurim, atque ad marginem notatis locis Talmudicis & Toledos Aharon, &c.

*THERIACA JUDAICA AD EXAMEN
REVOCATA.*

*Scripta Amoibæa Samuelis Friderici Brenzii, Con-
versi Judæi, & Salomonis Zebi, Apellæ, nunc primum cum ver-
sione Latina & animadversionibus edita a Jo.
Wulfero.*

Norimbergæ in 4. A. MDCLXXXI.

Cum ante octo & triginta annos Theodoricus Hackspanius, Lip-
manni Nizzachon Altdorfi primum ederet, examen virulentissimi
libri pollicitus, adjecit editioni illi tractatum de usu librorum
Rabbinicorum, veluti futuræ refutationis prodromum, in quo ali-
quoties ad *Theriacam Judaicam Salman Zebi* provocans, talia inde lo-
ca, cum primis pag. 268. 278. 281. 356. 358. produxit, quæ salivam fa-
cile movebant rerum Judaicarum Studiosis. Sed nullibi prostabat,
iste liber Hanoviæ excusus, quod a Judæis ipsis, invidia & odio erga
Autorem accensis, supprimeretur. Continet Apologiam pro Ju-
dæis, in qua enormia a *Samuele Friderico Brenzio* iis intentata crimi-
na depelluntur. Abierat enim Brenzius a Judæis ad Christianos,
atque ut post susceptum baptismum suæ fidei, quam jam profi-
tebatur, documentum daret novus inter Christianos profelytus, ca-
lamum in populares, quos deseruerat, strinxit, scriptoque libro Ger-
manico, sub titulo *Leberidis (Jüdischer abgestreiffter Schlangens-
balg)* Judæorum malitiam, fraudes, scelera, impietatem, atque in
Christum ejusque sanctam matrem blasphemias detexit, omnesque
sibi ab iis cavere monuit, tanquam a juratis Christiani nominis hosti-
bus, quorum omnis cura & cogitatio in Christianorum odium,
contumelias, & perniciem fixa sit. Ut primum ergo hoc Brenzii
scriptum Norimbergæ anno seculi currentis XIV prodierat, ad ejus
confutationem se masculine accinxit Judæus in Talmude & aliis Rab-
binorum monumentis non usque adeo hospes, *Salman Zebi, Offenhu-
sensis*, ita quidem, ut adversarii sui Objectiones, ordine, quem te-
nuerat, servato, diluat, & gentem suam contra tot ac tantas, quas
putabat, calumnias defendat. Atque hinc libro titulum fecit *Theri-
acam Judaicam (Jüdischer Theriack)* quia, quam ipse in præfatio-

ne rationem reddit, forte sit antidotum ad venenum ex Adversarii Leberide haustum extrahendum: scripsitque idioma, quo ille, Germanico, sed quali communiter uti Judæi solent, & Rabbincis expresso literis. Caterum: ut Judæis multa sola criminandi libidine falso objicit Brenzius; ita vicissim multa negat, vel certe emollit, aut aliter interpretatur Zebi, quorum tamen Judæi jure optimo postulantur: uterque interdum commode locutus, aliquando & mentitus est, quod in animadversionibus suis diligenter excussit *Jo. Wulferus*, qui non utriusque modo scriptum nativo sermone & caractere junctim, sed & in exterorum gratiam cum versione Latina, justis animadversionibus auctum edidit, alterum post Falmudici tractatus de Siclis versionem perpetuo Commentario e Rabbiorum scriptis illustratam, studiorum Philologicorum specimen; cui ad calcem ob argumenti cognationem *Isaacii Viva* libellum adjecit, pridem Amstelodami impressum, quem *Vindicem sanguinis* inscripsit, h. e. *Vindicias secundum veritatem, quibus Judæi ab infanticidiis & victima humana contra JACOBUM GEUSIUM vindicantur.*

EXCERPTA V. ET N. TESTAMENTI SYRIACI, cum Latina interpretatione nova & Annotationibus Christophori Cellarii. Cize, sumtu Jo. Bielcki, Bibliopole Jenens. A. MDC LXXXII. in 4.

UT studiosæ Juventuti sacræ Philologiæ, ac imprimis linguarum Orientalium studium magis redderet commendatum *Christophorus Cellarius*, vir humaniorum & orientalium literarum egregie doctus, non tantum *Horas Samaritanas*, seu loca S. codicis selectiora excerpta cum versione & annotationibus edidit: verum nuperrime etiam laudabili industria *Excerpta V. & N. Testamenti Syriaci* cum nova interpretatione typis exscribi curavit publicis. Ultrique parti Excerptorum ex Bibliis Polyglottis Anglicanis desumptæ, novam eamque Syriacæ ad verbum respondentem adjecit versionem. Cujus rei causa allegatur in præfatione, qua de versionis Syriacæ autoritate, antiquitate & sinceritate ex Briani Waltoni Prolegomenis Bibl. nec non de ejusdem utilitate in S. Theologiæ studio, adductis variis exemplis differit. Annotationes adjectæ ad difficiliorum locorum intellectum faciunt. *Quæ*

ex *N. Testamento excerpta* publicavit, continent potiora ejusdem loca, quæ vel ad fidei Christianæ summam pertinent, vel linguæ hujus usum cultoribus commendant. Annotationes iis subjicere omisit, quod pleraque vocabula in V. T. excerptis jam essent exposita, & reliqua satis ex bona versione possent intelligi. Ubi variantes occurrunt lectiones, *Autor clarissimus* non Trostianam, nec Gutbirianam, sed Anglorum scripturam secutus est.

INSTITUTIONIS THEOLOGICÆ ELENCTICÆ

Pars Prima & Secunda,

Autore FRANCISCO TURRETINO, in Ecclesia

& Academia Genevensi Pastore, & SS. Theologiæ

Professore.

Genevæ, 1682 in 4.

Institutionis Theologiæ Elencticæ nomen huic Operi impositum, ne Systema aliquod Theologiæ plenum hic tradi quis credat. Is enim Autori scopus propositus nunc quidem non fuit; sed tantum, ut *nobiliorum Controversiarum Theologicarum in omni Religione hodie vigentis* momentum exponeret, & filum Ariadneum junioribus subministraret, cujus ope ex earum labyrintho se facilius extricare possent. Ideo eas seligere voluit, quæ majoris momenti, vel magis necessariae hoc tempore visæ sunt, cæteris missis, quæ vel arduæ sunt nimis & curiosæ, vel inanes & jejunæ, quæ nec ignorantibus nocent, nec scientibus juvant. Quia vero constat, præ cæteris periculose errari sæpissime circa controversiæ statum, id sibi ante omnia negotii dedit Autor, ut remotis illis, quæ sunt ἐξαρύματα, præcipuum questionum cardinem diligenter ex sententia partium, quantum fieri potuit, erueret, ut eo semel riteposito & explorato, via facilis ad reliqua complanaretur, sive κατασκευαστικῶς veritas esset adstruenda, sive per ἀνασκευῶν error destruendus veniret. Quæ duo sibi insuper sic exequenda proposuit, non ut *Rationes* omnes operose congereret, quæ in medium afferri solent confirmandæ veritati, quia hic non tam numero quam pondere certandum; sed ut *potiores ac solidiores* quibus fulciri potest, cum judicio sublegeret, robore etiam, ubi opus fuit, iis addito, & *Exceptionibus palmariis* τῶν ἐξ ἐναντίας dilutis. Quibus tandem *fontes solutionum* subjecit, ut

paucis

paucis & uno veluti obtutu, missa proluxa argumentorum serie, distinctiones occurrerent & observationes utiles, quibus *πρωτον* *Ἰεῦδ* Adversantium reteggi, & nervi præcipuarum objectionum sine magno labore incidi possent. Quæ omnia ea brevitate ac perspicuitate exequi conatus est, ut nec nimia brevitatis obscuritatem, nec nimia prolixitas tædium pareret. Unde nuda & simplici rerum expositione contentus, ommissa operosa testimoniorum, quæ coacervari poterant, citatione, brevibus punctis signare satis habuit, quæ alias in justa argumenti tractatione deducere potuisset. In *secunda* hujus Operis parte operosiorum & prolixiorum quam in *prima* secutus est viam, ut ita ex multorum voto priorem ejus laborem utroque pollice approbantium, paulo diutius in difficiliorum quæstionum examine immorari posset, & aliquantò fusius in præcipuorum & fundamentalium, quæ subinde occurrebant, Scripturæ Locorum explanatione versaretur. Hinc factum, ut absoluta tractatione locorum de *Lege & Fœdere Gratiæ*, de *Christi Persona & Statu*, ejus *Officiis & Beneficiis* variis, manum de tabula tollere coactus fuerit, & in *Tertiam* partem rejicere reliquas controversias de *Ecclesia*, de *Sacramentis* & de *Novissimis*, quas propediem discutere instituet, ut plenum *Institutionis hujus Elencticæ* Systema habeatur. De cætero nullum erga diversa in Religione sentientes, nisi charitatis affectum Autor spirare videtur, procul ab omni personarum odio & livore, nec temere alienam mentem affingere iis, quibuscum agendum fuit, nec illa studio dissimulare voluit, quæ pro illorum causa facere videbantur. Id certe sedulo cavet, ne quid *novum* hic Liber haberet, & a formulis publicis in Ecclesia Reformatorum receptis alienum, & ut nihil ibi adstrueretur, quod probatissimorum huic Religioni addictorum calculo non confirmaretur. Atque ita sollicitè fugiendam judicavit profanam illam ingeniorum libidinem ad nova & curiosa prurientium, qui, ut ipse quosdam suarum partium Theologos modernos describit, *sub specioso majoris lucis & penitioris indaginis veritatis antea ignoratæ prætextu, ante se tradita convellere, bene constituta destruere, & ἰδίαις ἑπιλύσις, & νεύειας δόξαις* instar oraculorum obtrudere præsumunt, & a se dissentientes, tanquam bonæ mentis vacuos, imperitos, & veteribus formulis serviliter addictos traducere non erubescunt. Et quanquam ipse adspersari nolit Recentiorum industriam, qui luculentiora dona a

Deo

Deo consecuti, & peculiari ingenii acumine pollentes, cum laude occupantur in Scripturis scrutandis & veritate illustranda; ut tamen sub hoc pretextu vetera superciliose rejiciantur, & nova dogmata in Ecclesiam inducantur, quasi illi qui nobis præiverunt, in caligine ac tenebris adhuc versati sint, nec religionem ab erroribus suis satis repurgarint, hoc sanè *Et fama tantorum Virorum injuriam, Et Religioni probrosum, Et piis auribus intolerandum esse* pronunciat.

*SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
capita Et in loca ejusdem insignia Dis-
sertationes,*

**Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ord. FF. Præd. in Sacra
Facult. Parisiensi Doctore Theologo, & in Majori Conventu
& Collegio Parisiensi ejusdem ordinis S. Theologiæ
Professore, & studii Regente,
SECULUM IX. & X.**

Parisiis A. C. 1681. in 8.

Autori huic suas in universam Historiam Ecclesiasticam lucubrationes, continuata Tomorum serie, ante annos haud ita multos in publicam lucem emittere aggresso, ea placet methodus, ut succinctam seculi ejusque Synopsin, in certa capita divisam, Historicis, Chronologicis, Criticis & Theologicis dissertationibus illustret, & panopliam, ut vocat, adversus veterum & recentiorum, quos existimat, hæreticorum errores e Scriptura, Traditione, & Patrum doctrina subministrat. Quod opus Theologiæ studiosis eo gratius & ad usum accommodatius futurum existimavit, si scholasticum & disputantibus familiarem scribendi modum in dissertationibus istis adhiberet, in quibus haud raro magni nominis viros etiam suæ religionis atque gentis impugnat, exterarum gentium Theologos tanto æquius laturos ratus, quod in fidei articulis aliis principiis innutritus, Ecclesiæ suæ Pontificiæ placita defendere in se suscepit. Hanc igitur instituti rationem secutus, octo prioribus seculis, quæ anno 1676 & deinceps prodierunt, anno superiore Nonum & Decimum seculum duobus comprehensa voluminibus adjecit.

Et PRIUS quidem VOLUMEN, quod Historicam seculi 9 & 10
D d Sy.

Synopsin conjunctim exhibet, a Romanis hujus periodi Pontificibus auspicatur. Agmen ducit Leo III, e cujus vita S. Suitberti Canonizationem contra *Baronium* expungendam esse notat, cum indulgentiæ, ut cætera argumenta prætereamus, fidelibus certas Sanctorum Ecclesias & Altaria visitantibus erogatæ, quarum in actis istius Canonizationis mentio fit, ante duodecimum seculum Ecclesiæ ignotæ fuerint. Leonem III Stephanus V, & reliqui sequuntur, quorum seriem & res gestas ita refert, ut errores etiam & turpissima quorundam flagitia subinde memoret, quamvis per eam labem Romanæ Sedis auctoritati, cui ubique consulere nititur, quicquam præjudicari nolit, & nonnullis doctrinæ novos & crimina per calumniam objici, persuasum sibi habeat. Eugenio enim II, qui e pervetustis & nono seculo coævis tabulis Remigianis, a *Mabillonio T. 1. Analector.* editis, ritum probationis per aquam instituisse arguitur, supersticiosum illud & cum Dei tentatione conjunctum inventum adscribere religioni habet; & *Job. Launojum* Parisiensem Theologum, qui *in libro de Regia in Matrimonium potestate* Johanni VIII hanc sententiam tribuerat, quod conjux ob fornicationem alterius conjugis post legitimum divortium aliarum nuptiarum potestatem habeat, quasi magnum illi errorem per hanc sententiam attribuisset, insigni & omnibus bonis execranda fraude Johannis VIII verba adulterasse, non sine verborum amarulentia queritur; & *Sylvestrum II*, qui inter Romanos hujus ætatis Pontifices extremum locum occupat, de necromantia & aliis magicis artibus non aliam ob causam suspectum fuisse existimat, quam quod summa ejus in Mathematicis disciplinis peritia, & ingeniosa in novis horologiis & aliis machinis elaborandis dexteritas, rudi seculo Dæmonis familiaris opem requirere videretur.

Romanorum Pontificum historiam cum hæretici, qui seculis IX & X Ecclesiam infestarunt, tum scriptores Ecclesiastici, numero pene LXX excipiunt, quorum opera sic enumerat, ut ea, sicubi opus, ad criticum examen revocet, & ex plerisque flosculos aliquos excerpit. Dehinc Synodorum Nationalium & Provincialium, quibus disciplina IX & X seculi sancita & instaurata fuit, decreta subjicit, & postquam Canonum in singulis conditorum medullam perspicue exposuit, Politicæ Ecclesiasticæ faciem spectandam exhibet, a novis Primatum sedibus nono & decimo seculo erectis & constitutis telam hanc exorsus, a quibus ad Metropolitanos eorumque jura, & insigne eorundem Pallium accedit.

cedit, *Petri de Marca* judicium tanquam veritati & Romanæ Sedi injuriosum carpens, qui pallii usum, antiquam Metropolitanorum libertatem per cuniculos infregisse, & Synodorum Provincialium auctoritatem pessumdedisse scripserat. Tum ad reliquos Episcopos devolvitur, eorumque electionem, confirmationem, juramentum Regibus præstitum, residendi in propriis Ecclesiis necessitatem, per Canones Ecclesiasticos & Regum capitularia his temporibus impositam, & alia his affinia pertractat, inde ad Clericos & Canonicos transitum faciens. Nec omittenda monasticæ rei, qualis his seculis fuit, prolixa satis enarratio, qua inter alia Cluniacensis Abbatix origines describit, ejusque Abbates usque ad Odilonem anno 1048 defunctum ordine recenset, & peculiare quasdam Abbatix istius consuetudines a Bernhardo Cluniacensi & Udalrico descriptas subnectit, qualis fuit singularis reverentia in conficiendis hostiis Eucharisticis, quæ non ejus, cujus hodie sunt, figuræ, nec denarialis tantum magnitudinis, sed longe majores extiterunt, & pro communicantium numero in plures particulas dividi potuerunt. Reliquas Abbatix hujus consuetudines & alia, quæ de Monachis & Sanctimonialibus horum temporum, nec non de bonorum Ecclesiasticorum administratione, & Clericorum privilegiis atque oneribus Autor congeffit, instituti ratio, quæ brevitatem imperat, referre non permittit. Ultimus denique hujus voluminis labor in Imperatorum Orientalium & Occidentalium, Regum item Francorum, Hispanorum, & Anglorum, a quibus per hunc noni & decimi seculi decursum Respublica administrata est, præcipuis gestis breviter enumerandis occupatur.

POSTERIUS VOLUMEN 18 dissertationes complectitur. In prima, quæ de translatione Imperii a Græcis ad Francos agit, Carolum M. a Leone III Romæ Imperatorem coronatum, & Ecclesiæ maxime Romanæ custodem constitutum, nec tamen, quod *Bellarminus* & alii putaverant, hoc factò Imperium a Græcis ad Francos translatum asserit.

Secunda circa Ludovici Pii exauctorationem & restitutionem occupatur, quem ab *Agobardi, Paschafii*, & Synodi Compendiensis calumniis acriter vindicat.

In tertia vulgatam de Johanna Papissa historiam post *Florimondum*

Dd 2

Re-

Remundum, Leonem Allatum, Philippum Labbeum, Davidem Blondellum & alios confutare conatur.

Quarta Photii, Ignatium sede Constantinopolitana deturbantis, ab Ignatio iterum detrusi, sed post Ignatii mortem restituti, & denuo exauctorati, cum Romanis Pontificibus certamina, nec non legationum & aliarum rerum in schismate isto utrinque actarum historiam exponit. Inprimis vero Synodi octavæ Oecumenicæ, ab Hadriano II congregatæ, cui aliam Oecumenicam IIX Photius postea opposuit, actiones ordine recenset, & occasione canonis 17, pro *Petro de Marca & Bosqueto*, contra *Christianum Lupum*, an Episcopi Gallicani ab Episcopo Romano vocati, citra licentiam a Regibus permissam, abire potuerint, disquirat.

In Godeschalehi causa, quam quinta dissertatio aggreditur, referenda ita versatur Autor, ut dissensiones in Gallia ex his certaminibus exortas, utcunque conciliet, & *Mauguinum* aliquoties refellat.

In sexta Rothadi Sueffionensis ad Sedem Apostolicam appellantis restitutio, quamvis *Annalium Bertinianorum* Autor eam non regulariter, sed potentialiter a Nicolao I factam esse scribat, contra *Hincmarum Rhemensem* defenditur.

Septima controversiam, quam Hincmarus Rhemensis Wulfado & aliis Clericis ab Ebbone antecessore suo ordinatis movit, ventilat, eorumque causam contra Hincmarum cum Romana Ecclesia tuetur. Hincmari istius Rhemensis ex sorore nepos fuit Hincmarus Junior, Laudunensis Antistes, qui cum ob turbulentas actiones male sibi conscius, interjecta ad sedem Apostolicam appellatione, Nationalis Synodi judicium declinasset, ab Adriano II, ut pro sui defensione graves & acerbis ad Carolum Calvum, & Hincmarum avunculum suum literas scriberet, impetravit. Sed Hincmarus Rhemensis Regis Christianissimi nomine Pontificem illum Romanum pro merito haud mitioribus literis excepit, quarum summam cum reliquis hujus controversiæ actis octava dissertatio enarrat.

Nona Lotharii Regis & Teutbergæ divortium, & novum ejusdem Regis cum Waldrada matrimonium ab Episcopis Regni Lothariani, in Aquisgranensibus Conciliis & Metensi Synodo approbatum, sed a Nicolao I, quem Teutberga appellaverat, rescissum memorat, & quid de eo negotio scriptum actumque fuerit, exponit.

In

In decima dissertatione Autor Paschasii Radberti, qui se in subscriptionibus monachorum omnium peripsema appellare consuevit, vitam & opera recenset, eumque ab *Henrico Boxbornio & Hospiniano* temere ad Calvinistarum partes trahi asserit, cum e contrario *Claudius & Larroguius* Paschasium arguant, quod primus realem Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam tradiderit: quorum sententiam congestis rationibus & multorum Autorum testimoniis refellit. Et cum reali corporis & sanguinis Domini præsentia transubstantiationem subinde admisceat, haud mirum, etiam Lutheranos intactos non relinquit, quos per *Gastum* Hagenoiensem Ministrum anno superioris seculi 28, Paschasii opera adulterasse audacter infimulat.

In undecima ad Rabani Mauri opera & nævos progreditur, cui secundum Stercorariorum errorem falso tribui ex *Mabillonii Secul. IV. Benedictino* asserit. Inprimis vero negat, Rabanum realem corporis & sanguinis præsentiam in Eucharistia negasse, quamvis corpus illud Christi, quod ex Maria natum est, cum eo, quod de altari sumitur, idem esse negaverit, & cum Patribus quibusdam triplex Christi corpus, Ecclesiam, Eucharisticum, & quod e Maria natum est, distinxerit.

Idem sensit Amalarius, cujus errorem de Christi corpore triformi in Carisiaca Synodo damnatum refert Florus in MSC. contra Amalarium a *Blondello in elucidationibus controversia de Eucharistia* laudatus. Num vero Amalarius Stercorariorum errorem foverit, ut a *Wilhelmo Malmesburiensi, Mauguino, & Antonio Arnaldo* arguitur, an realem Christi præsentiam in Eucharistia plane negaverit, quod *Claudius & Larroguius* asserunt, duodecima dissertatio inquirat, in qua etiam errores Amalarii ab Agobardo impugnati recensentur.

Decima tertia Rattramni seu Bertrami scripta recenset, & inprimis librum de corpore & sanguine Domini, quem *Petrus de Marca & Antonius Arnaldus* Johanni Scoto, sed *Mabillonio* iudice falso asserunt, nec non librum de Nativitate Christi, a Paschasio Radberto impugnatum: & librum de anima MS. Monacho Corbeiensi, qui unam omnium hominum animam esse contenderat, oppositum ad examen revocat.

Decima quarta Johannis Scoti Erigenæ, quem autor a Johanne Æthelingiensi in Anglia Abbate distinguendum, & nec Bedæ discipulum, nec martyrem fuisse probat, opera & erroneas de Eucharistia, Prædestinatione, & aliis Fidei articulis sententias, earundemque con-

demnationem in Parisiensi, Valentina & aliis Synodis factam exhibet.

Decima quinta contra Calvinianos, & in specie *Albertinum, Claudium, & Larroguium* militat, qui seculo X fidem Eucharistiæ in tantum mutatam esse affirmant, ut, cum nono adhuc seculo Christiani corpus & sanguinem Christi ab Eucharistia abesse credidissent, decimodemum seculo substantialis Christi in Coena præsentia credita fuerit.

Decima sexta contra *Johannem Launojum* dirigitur, qui in Epistola quadam ad Ludovicum Maresium contra *Baronium, Binium, & alia* Curia Romanæ mancipia (sic enim Launojus in dicta Epistola appellat) Romanum Concilium, quod Johannem XII deposuit & in ejus locum Leonem IIX substituit, legitimum, & illud, quo Johannem restitutum volunt, suppositum fuisse probaverat, cujus argumenta Autor refutare conatur.

In decima septima dissertatione Autor de septem Electoribus agit, eosque a Gregorio V. in Concilio Romano institutos, contra *Bellarminum, Baronium & alios* negat: quamvis de cætero haud negandum esse lectoribus suis persuadere velit, quod jus eligendi Imperatores a sede Apostolica quodammodo emanaverit.

Ultima denique dissertatio, cui Panopliæ adversus IX & X seculi hæreses titulus præfigitur, contra Photium & reliquos Græcos processionem Spiritus S. a Filio, a Latinis symbolo adjectam, tuetur, ubi obiter animadvertitur, ex Autoribus a *P. Ludovico Maimburgio* allegatis non constare, quod Henricus Imperator Benedicto Octavo, ut verba illa FILIOque Symbolo adderet, Autor fuerit, aut quod Benedictus VIII in Synodo Romana additionem illam approbaverit.

DISCOURS SUR L' HISTOIRE UNIVERSELLE a Monseigneur le Dauphin: pour expliquer la suite de la Religion, & les changemens des Empires. Premiere partie, depuis le commencement du Monde jusqu' a l' Empire de Charlemagne. Par Messire Jacques Benigne Bossuet, Evêque de Condom &c.

id est,

Dissertationum super Historia Universalis ad Serenissimum Delphinum, quibus contextus Religionis & Imperiorum

riorum mutationes enarrantur, Pars prima, ab exordio mundi usque ad Imperium Caroli Magni deducta.

Auctore Jac. Benigno Bossueto Condomensi
(nunc Meldensi) Episcopo.

Parisi. in 4. Lugduni & Amstelod. in 12. 1681.

TRibus nempe locis eodem anno typis excusus hic liber est, quod acceptissimum eum omnibus futurum, & operis argumentum ipsum, & illustre Auctoris nomen, spem certam Bibliopolis fecisset. Neque de bono publico male merebitur, qui, ut novissimus Francofurtensis librorum catalogus innuit, in Latinum sermonem transferre librum, ut legi a pluribus possit, instituit. Quid enim vile, aut inelaboratum expectari ab eo poterat, quem ex tanto doctorum virorum, quibus Gallia hoc tempore abundat, numero Rex Christianissimus selegit, qui Delphini studiis una cum doctissimo Hueto moderaretur, ac qui hoc ipso opere specimen edere prudentiæ Didacticæ voluit, ac viam velut aliis in erudienda probe & ad pietatem flectenda illustri Juventute terendam præire. Tametsi enim scopus Auctoris fuit, Historiam tum Ecclesiasticam, tum Civilem Serenissimo Discipulo tradere, id in primis tamen per universum opus egit, ut demonstrato ab una parte Religionis Christianæ, suis met viribus nixæ, & ab exordio mundi ad nostra usque tempora subsistentis, imo æternum perstituræ, contextu perpetuo; ab altera parte amplissimorum Imperiorum vicissitudinibus, variis casibus, ac ruinis ob oculos positis; animum Principis a mundanarum rerum nimio studio abductum, pietate ac solidioris felicitatis gloriæque, ad quam sola nos Religio Christiana ducit, desiderio imbueret.

Prior operis pars, quæ jam publici juris facta est, & a condito mundo ad Caroli M. porrigitur tempora, tribus sectionibus absolvitur. Quarum prima Historiæ universalis, Ecclesiasticæ pariter ac Civilis, summa capita promiscue, juxta temporum tamen seriem, per certas Epochas, velut Adami, Noæ, Abrahami, Mosis, captæ Trojæ, Salomonis, Romuli, Cyri, Carthaginis excisæ, Christi Servatoris nati, Constantini, & Caroli M. auctor exhibet, totque seculorum res gestas notatu digniores brevi ac concinna oratione enarrat. In quo tractatu ut passim, fidem dictis profanorum æque ac sacrorum testimoniis

nais adstruit; ita ubi inter se illi dissident, nec conciliari possunt, explorata profanorum auctoritate, Sacras literas, velut cynosuram fallere nesciam, strictim sequitur.

Altera sectione Religionis Christianæ veritatem, successionemque nunquam interruptam uberiori sermone demonstrat, evincitque, et si alius populi Dei status sub lege naturæ, alius sub lege Mosis, alius sub Evangelio fuerit, eundem tamen Deum auctorem, eundem Christum Servatorem generis humani cultum semper ab Ecclesia fuisse, eandemque religionem eidem fundamento superstructam, ac ab hostibus, idololatria, impietate, hæresi, persecutionibus, ipsaque vi immensi temporis invictam hujusque perstitisse. Itaque ab Historia creationis lapsusque; Protoplastorum, ac primi in paradiso de Messia Evangelii orsus, ad Abrahami ac Patriarcharum tempora, quibus sparsa jam per universum orbem idololatria, suum sibi populum peculiari fœdere Deus adstrinxit, ad Davidem inde & Prophetas ac clariora de Messia oracula sensim ascendit, cumque de Hierosolymitani templi exstructi, destructi, instaurati fatis, populique Judaici & Religionis ipsius per hæc temporum intervalla statu doctè differuisset, ad Novi Fœderis Historiam progreditur, ac Deum in carne manifestatum, Spiritum S. in fideles effusum, gentiles in Ecclesiæ sinum receptos, Rempublicam Judaicam destructam, Religionem Christianam inter sævissimas persecutiones crescentem, gravissimis discursibus prosequitur. Ast præcipuam laudem subjunctæ Digressionis profundæ sapientiæ ac doctrinæ merentur, quibus adversus Judæos pariter ac Atheos, veritatem Religionis Christianæ invictis argumentis demonstrat, ac in ea propaganda admirandam Divini Numinis providentiam deprædicat. Ubi non dissimulamus, favere Auctorem in primis Romanæ Religionis, ac ejus antiquitatem, quippe quam ipse sectatur, passim extollere.

Sectione denique tertia Imperia majora, Scytharum, Æthiopum, Ægyptiorum, Assyriorum, Medorum & Persarum, Græcorum, Romanorum, Auctor recenset, memorque instituti, quo consultum in primis Serenissimo Delphino voluit, eorum originem, instituta præclara, incrementa, vitia, occasus sic describit, ut quibus artibus steterint creverintque, per quæ vitia collapsa fuerint, nullo inde negotio intelligi, ac solida adeo civilis prudentia hauriri possit.

THEO.

THEOPHILI BONETI D. M.

Mercurius Compitalitiuſ, ſeu Index Medico-Practicuſ.

Genev. 1682. in fol.

Cum Medica Praxis circa ſubjecta particularia verſetur, haud ſufficiunt ipſi pro fauſto ſucceſſu Regulæ iſtæ generales, quas methoduſ medendi conſueto modo tradit, quin circumſtantiarum circa ægroſ varietas, intricatæ morborum complicationeſ, & idioſyncraſiæ cujuſvis individui, determinatas magiſ leges poſtulent. Pro praxi itaque ſpeciali dirigenda meliſ, tot Cautioneſ, Animadverſioneſ & Caſtigacioneſ, a famoſioribuſ Practicis paſſim notatæ proſtant, non ſecus ac plureſ iſtæ Obſervationeſ, Hiſtoriæque Medicæ, & Conſultationeſ, ut harum omnium ope perficiatur habitus Medici Practicuſ, & ita per exempla breve & efficax ad artem fiat iter, longiſ quod foret per præcepta. Ultraſque amico fœdere jungere placet Autori, præſenti in ſcripto, dum laborioſa ex probatiſſimic, priſcic pariter ac neotericic Scriptoribuſ Practicic collectione, eorundem cautioneſ & obſervationeſ in ſinguloſ morboſ diligenter congerere, & concinno ordine diſponere, & ita nucleum Practicum ex tot Scriptoribuſ diligenter excerptum, uno in Volumine exhibere fatagit, ut hoc ipſum in controverſiſ Practicic, caſibuſque dubiſ, Mercurialiſ quaſi ſit ſtatua, quæ dum in bivio ancepſ ſtat Medicuſ, cui viæ inſiſtendum ſit, oſtendat. Opuſ ipſum Autor in 20 diſtribuit libroſ, quorum 18. priorē morboſ particulareſ quōſvis, ſecundum Alfabeti ſeriem diſpoſitoſ, complectuntur, ut ita citiſ Lectori in conſpectum veniant, quæ diſquirit. Quibuſ in Lib. XIX. præſidia Medica Uniſverſalia, ſecundum treſ auxiliiorum Medicorū fonteſ ſubjungit. Appendicic denique loco liber XX annectitur, circa Medici munuſ occupatuſ. Præmittitur hiſ omnibuſ Index Titulorū & Affectuorū, prout juxta literarū ſeriem ſe mutuo excipiunt. In calce vero Operiſ index rerū, extra modo dictum ordinem alfabeticum collocatarū adjicitur.

PAEONIS ET PYTHAGORÆ EXERCITATIONEſ ANATOMICÆ & MEDICÆ BIſ 50.

Baſileæ 1682. in 8.

Ee

Exer-

Exercitationes hæc Autores agnoscunt *Johannem Jacobum Harderum*, & *Joh. Conradum Peyerum*, quorum Ille per *Prodromum Physiologicum*, explicantem naturam humorum, Nutritioni & Generationi dicatorum, ac *Examen Anatomicum Cochleæ terrestris domiportæ*; Hic per Exercitationem de *Glandulis intestinorum* atque *Anatomen Ventriculi Gallinacei*, ab aliquot annis Orbi erudito, Scholisque potissimum Anatomicis innotuerunt. Epistolas non minore jure eas vocare potuissent, cum sub earum forma conscriptæ ac editæ fuerint a binis his amicissimis: quia tamen his æque se reciproce in rebus Anatomicis & Medicis exercere, ac mutuam operam, in Studiis his promovendis, præstare voluerunt, Exercitationes easdem vocarunt. Complectuntur siquidem præter Observationes rerum, quæ maxime nunc inter sectatores ventilantur, varii generis pathologica, per cadaverum præprimis, his vel illis morbis defunctorum, eviscerationes declarata, Scholiisque ac theoriis propriis illustrata, adeoque uno verbo Miscellanea singularis dexteritatis atque eruditionis merito dicenda erunt.

JOH. CONRADI PEYERI PARERGA Anatomica & Medica septem.

Amstelodami 1682 in 8.

Ediderat hic anno 1677 Exercitationem Anatomico-Medicam de Glandulis intestinorum cum Anatome ventriculi Gallinacei, in qua tenuium Intestinorum internam superficiem certis glandularum agminibus seu plexibus, crassorum glandulis solitariis, ornari, non solum in genere asserit, sed harum quoque in fele, cane, vulpe, lepore, sue, ove, capra, bove, homine, glire &c. conformationem, ex propria partim, partim aliorum autopsia accurate satis describit, & figuris æneis exprimit. Atque has conglomeratis accenset, liquorem stilantes, qui in tenuibus consummandæ chylicationi præsit, crassa vero contra fæcum duritiem & acrium humorum activitatem munit, simul tamē glutinositate sua particulas scybalorū coagmentet, & ad debitam consistentiam conglomeret: quibus demū pathemata earundem glandularum diversa, hincq; corpori animali obvenientia symptomata, subnectit. Illam E. dissertationem ut *primum parergon* nunc supponit, secundum constituens Exercitationem alteram de iisdem glandulis inte-

ffina-

finalibus, in qua, quæ in priore illa de conformatione atque usu harum differuerat, ulterius explicat. Sc. distinguit primo Glandulas intestinorum in externas, nempe epar, pancreas, glandulas mesenterii, intestinorum superficiei exteriori adhærescentes, & sub marsupiorum exiguorum specie utrinque sub ani sphinctere latitantes: & internas, quarum diversas pariter numerat species, sc. universam intestinorum internam tunicam glandulosam, aliasque glandulas majores & conspectiores, vel sparsim in cunctis, vel aerolatim in tenuibus intestinis, disseminatas; posterioris generis utramque speciem tam per autopsiam *Cass. Bartholini, Wepferi, Scretæ & Harderi*, quam per reiteratas in variis animalibus, quadrupedibus, avibus, piscibus ac tandem in homine, sectiones proprias confirmans. Imo tandem eo adducitur, ut ventriculum ipsum cum Intestinis glandulas pronunciet, ideo quod secretionibus, quarum nullam extra glandulas fieri supposuerat, vacent, intestinorum structura, potissimum in embryone tenello, testibus atque epididymidibus perquam similis existat, glandulæ nihil aliud, quam meatus varie contorti & configurati videantur, ac pori intestinorum, per quos chylus in vasa lactea trajicitur, a diversis Scriptoribus pro glandulis reputentur. Et quoniam ratione usus glandularum intestinalium in prima dissertatione docuerat, has chylum minime absorbere, contradicentem autem postmodum observarat *Johannem de Muralto* in Vade mecum Anatomico seu clave Medicinæ, assertum suum contra hunc prolixè vindicat, ac tandem certamen epistolare, subjectum hoc concernens, quod sibi cum Muralto intercesserat, subdit.

Parergon tertium Methodum historiarum Medico-Anatomicarum exhibet, quam separatim superioribus jamdum annis ediderat, cujus ope in defunctis morbi sedes & causæ indagari & exponi debeant, hujusque præcepta Ascitis, vitio cordis geniti, historia anatomico-medica, scholiis illustrata, comprobatur.

Quartum epistola constituit, conscripta ad Cl. Sponium, cum hujus responsione, de amitina Peyerii, ab infantia prima oculis capta, quæ quamvis ideo literas nunquam conspiciere potuerit, tantam tamen mentis perspicaciam susceperat, ut pietatis præcepta & cum Germana linguam Gallicam, Latinam atq; Italicam addidicerit, imo præter Musicam vocalem & instrumentalem, Philosophicas disciplinas sub manu-ductione partim parentum, partim aliorum magistrorum, his addiderit,

ut ipsa postmodum eas fratres suos doceret, tandemque animum ad scribendum appulerit, quo cum absentibus quoque per literas confabularetur.

Quintum Parergon Historiam anatomicam ab H. Glasero conscriptam sistit, mulieris Ascite defunctæ, cui lien extiterat minimus, ductus autem pancreaticus maximus. Sc. Lien fabam majusculam haud excedebat, foramen vero in intestini jejuni principio, quod ductui biliario & pancreatico commune, tantæ reperiatur amplitudinis, ut digiti auricularis apicem admitteret.

In *Sexto* Historiam Anatomico-Medicam refert Mulieris hydropticæ, cujus abdomen plenum tumoribus, & uterus tuberosus repertus fuerit, cum iconibus uterum hunc ejusque tubera explicantibus.

Quibus tandem, *Septimi* loco, Miraculum anatomicum in cordibus resuscitatis addit, quatenus fibræ cordis, tam humani, quam aliorum brutorum, e gelidis motus aliquis denuo inspirari possit, aerem per ductum thoracicum inflando, corque manu aut spongia calida fovendo, qui etiam fœtus in corde salmonis fœmellæ, e corpore evulso, pro pulsu huic restituendo aliquando suffecerit.

*ZODIACUS MEDICO-GALLICUS,
seu Miscellaneorum Medico-Physicorum Gallicorum*

Annus II. & III.

Authore **NICOLAO DE BLEGNY.**

R. G. C. O.

Genevæ 1682 in 4.

TAm mirabilis in suis Operibus ubique observatur alma Mater Natura, ut tantum non quotidie nova Phænomena curiosi sui scrutatoribus repræsentet, idque tam apto artificio, ut cuilibet nec omnia, nec eadem exhibeat, sed singulis peculiaribus quædam, definitum quasi cuivis pensum distribuendo, subministret. Horum circumspecta observatio, collectioque exacta, ut summam rei tam Naturali quam Medicæ affert utilitatem, siquidem tot quasi literæ illa æstimanda sunt, ex quibus tandem Alphabetum pro naturæ interpretatione componendum est, ita ne oblivioni tradantur, tot Societates, Academiæ, Collegia &c. conspirarunt hactenus, & publicæ perlustrationi exposuerunt.

omni-

omnibus, singulis quod experientia, rerum Magistra, & hujus pedissequa Ratio suppeditavit. Atque huc referenda quoque veniunt Miscellanea illa Medico-Physica, quorum singulis Mensibus pars quædam Parisiis Gallice, sub titulo, *Nouvelles deconvertes, sur toutes les parties de la Medecine*, Recens in Re Medica explorata, eduntur a *Nicolao de Blegny*, Chirurgo celebri, quæ postmodum a *Theophilo Boneto* Latinitate donata, Genevæ nomine *Zodiaci Gallici* divulgantur. Prodiit jam anno 1680 primus hujus Zodiaci annus, respondens anno 1679, cujus observationibus variis in fine accesserunt tractatus bini, de herniis prior, posterior de Lue Venerea, ab illarum Editore Gallo conscripti. Secutæ jam sunt binæ aliæ Zodiaci hujus revolutiones, secunda pro anno 1680, & tertia pro anno 1681, quæ Miscellanea rem vel Naturalem vel Medicam concernentia, partim observationes multiplices, partim interspersas varii argumenti Dissertationes complectuntur.

Quod itaque anni secundi attinet Observationes, p. 44. habetur remedium probatum contra hydropem uterinum, p. 56. Monstrum Cervi-Taurus, p. 74. Sperma in sene neogamo petrefactum, p. 75. nasus omnino præcisus, perfecte denuo loco resectionis unitus, ne cicatrice quidem manifesta relicta. p. 89. oleum Talci singulare, & omnes proprietates desiderati adeo olei Talci obtinens, elegans Cosmeticum, post 15. annorum laborem, a non nemine concinnatum, quod reperitur apud *Dom. Lemery* Pharmacop. Reg. edito Cursu Chymico fatis notum. p. 123. Intestinum tenue ex vulnere acinacis in hypogastrio dextro, transversim, haud procul a loco, ubi desinit Ileon, dissectum, citra tamen mortis periculum, quia mira Naturæ industria intestinum vulneris externi circumferentiæ agglutinatum fuit, ita ut optime cæteroque valens læsus, tantum per intestinum in loco læsionis apertum, excrementa egerere necesse habeat. Casus hic singularis paria in canibus tentandi occasionem suggessit, pro vulnerum talium, alioquin periculorum, in homine curatione feliciori, & similiter cani p. 143. post apertum abdomen, intestinum Ileum eodem in loco dissectum, circumferentiæ vulneris ope futuræ connexum fuit, & ita citra alium apparatus sanatum, cane per intestinum ita apertum excrementa itidem excludente. p. 122. Lapidés in ipsa cordis substantia reperti. p. 127. cæcitas fugax in pueris, ex calculorū in urethra genitorum extractione. p. 132. parva lacerta per venam sectam egressa. p. 148. gravissimæ & periculosa

losus affectus cum creberrimis sanguinis vomitibus, ab hirudine in potu deglutita, per theriacam mediante animalis cum vomitu reiectione curatus. p. 188. putrefactio artificialis corporum siccorum & porosorum, intra 4, l. 6. dies, mediante certa pasta. p. 210. puer 6 mensium insigniter barbatus, & toto corpore, exceptis artubus, habitus virilis, ad instar viri 30 annorum.

Inserti his observationibus discursus sunt varii, quos inter p. 6. de febris & febrifugis agitur. p. 57. & 158, ventilatur generatio animalium ex ovo, ita tamen, ut affirmativa videatur potior. p. 161. inseritur integer tractatus *D. Monginot* Med. Paris. de febrium cura per usum *Quinquinae*, anno 1680, ceu scriptum anonymum primum Gallice editus, cujus summa capita Calendis Martii pag. Actorum 76. exhibuimus. p. 191. de usu & noxa frequentioris sanguinis missionis, cujus occasione simul & in respirationis usum, & sanguinis sulphurei ab aere nitroso quasi incensionem fit inquisitio. p. 217. prolixè de alvi fluxibus in specie tractatur: sicuti p. 260. potus glacie refrigeratus, a nocumentis ipsi alias imputatis vindicatur.

In anno tertio observanda veniunt p. 4. Cutis anatome, tam quoad papillas protuberantes, quam quoad glandulas post cutis cribrum sitas. p. 26. nova aneurismatis curandi ratio proponitur, qua occasione p. 43. & 62. plura observatu digna circa varios aneurismata curandi modos afferuntur. p. 30. exhibetur ovum, Cometae figuram repraesentans. p. 54. puella sine cerebro nata, loco cujus aqua liquida membranas implevit, ubi simul de usibus cerebri & spinalis medullae disquisitio instituitur. p. 70. & 79. confirmatur modus mollificandi & in aptum edulium convertendi ossa, methodo ab Anglis nuperrime inventa, & a nobis Calendis Aprilis pag. Act. 106. seqq. descripta. p. 95. refertur planta, famem & sitim sedans, in Scotia noviter reperta. p. 107. Figura humana in ovo exacte repraesentata, &c.

Dissertationes inter, quae modo dictis interjectae sunt, eminent istae *D. Comerii*, Ebrodun. Mathes. Prof. Paris. de colorum natura p. 85, 113, 127, 135. variis experimentis demonstrata, & ex principiis Optices, Dioptricesque deducta, in quibus praeter hoc, quod colorem modificatum esse lumen ostendat, debilitatis in visu senum, conspicillorumque iisdem usitatorum varietatis rationem, non secus ac Myopum, & his oppositorum Presbytorum in visu diversitatis fundamenta, curiosè ex

ma-

majori minorive Cryſtallini convexitate explicat, & per camerae obſcurae phaenomena eleganter declarat. Idem Autor pariter p. 39. ſolicitus eſt, de Cometarum influxu, (de quorum natura jam anno 1665. ſcriptum ediderat, ipſosque corpora de natura Planetarum, orbi terrarum coeva demonſtraverat) quomodo ex propria natura novorum morborum autores eſſe queant: quo etiam pertinet diſcurſus anonymi in calce Volum. hujus p. 149. additus, de praefagiis cometarum, ſtudentis, illos fauſta potius quam ſiniſtra praedicere; imo futuri illos nequaquam eſſe indicia, cum illorum exortum fauſti non ſecus ac infauſti eventus aliquando conſequantur.

MICHAELIS ANTONII BAUDRAND

Parisiſini Geographia ordine literarum

diſpoſita.

Tomi duo.

Parisiſi apud Stephanum Michalet, 1682. in fol.

DUODECIMUS jam decurrit annus, ex quo Autor Clariffimus Lexicon Geographicum Philippi Ferrarii Alexandrini, Ordinis ſervorum B. M. V. olim Praepoſiti Generalis, in ordinem Alphabeticum digeſtum, & ceu loquitur ipſe, altero tanto auctius in lucem publicam emiſit. Librum hunc utiliſſimum quam avide exceperit, quam benigne foverit literatus orbis, vel ex triplici, qua apud exterarum gentes tantillo temporis ſpatio donatus fuit, editione apparet. Autor tamen ipſe, dulcedine nimirum atque amplitudine ſtudii Geographici perſpecta, eo non acquievit, ſed per integrum quinquennium in augendo magis magisque illo atque perficiendo defudavit, donec in ſua hac Geographia ad umbilicum perducta, id non absque re viſus eſt ſibi aſſecutus eſſe. Quantam ſane potuit maximam adhibuit diligentiam, tum ut Geographiam veterem & novam perpetuo parallelismo inter ſe conferret; tum ut pleraque ex media aetate deſumpta, & ſcitu digna, quorum nulla haecenus mentio facta fuerat, adjiceret; tum etiam ut ſingularum regionum accuratas & commodas diviſiones afferret, & quibus urbes & provinciae a vicinis populis ſignentur vocibus; quae denique recens detectae ſint regiones; quid de his memoria dignum nupera eaque ab uno

uno aut altero seculo confecta itineraria referant, non omitteret, expunctis erroribus innumeris, qui in libros & chartas irrepsent, circumscriptis quoque descriptionibus, & omissis Autorum, cum non opus est, citationibus, quæ nihil præter tædium & molestiam afferant. Quæ ratione factum est, ut in Novo hoc Opere nulla fere pars Lexici Geographici anno 70 editi vel minima remanserit, quam non fecerit meliorem; ceu ipse foetum hunc suum vere describit & commendat, partim in dedicatione, partim in præfatione ad Lectorem. Hæc vero augmenta textui ipsi sunt inserta; præterea indiculum etiam Episcopatum & Archi-Episcopatum, seipso iterum indice in præfat. ad Lect. juxta præsentem Ecclesiæ statum attexuit; Academias item totius orbis, Civitatum Imperialium & liberarum Germaniæ, quæ hoc jure potiuntur, aut aliquando potitæ sunt, Catalogum: Urbes quoque aut regiones, quæ aliquando venditæ sunt aut oppignoratæ, simul & regiones, urbes & loca, quæ nusquam fuerunt, licet in chartis designentur. Tandem adjecit etiam indicem Geographorum tum veterum tum recentiorum; ac demum corollarii loco partem Geographicæ alteram, in formam tabulæ amplissimæ, prout ipse loquitur, aut Indicis potius concinnatam, in qua nova nomina, in gratiam Lectoris in Antiquitate minus versati veteribus præponuntur. Quæ vero adjici adhuc possunt, Autor, postquam id fieri posse, candide in fine præfat. falsus est, seipsum forsitan quandoque additurum esse, dubie ibidem promittit.

*Fragmentum STEPHANI, Byzantini Grammatici,
de DODONE, cum triplici nupera Latina Versione, &
Academicis Exercitationibus*

JACOBI GRONOVII.

Lugduni Batavor. 1681 in 4.

Quo Clarissimus Exercitationum Autor ostenderet, quanti res ingenii ac judicii, quantæque eruditionis sit, correctæ satis atque expositæ publico dare conspectui monumenta STEPHANI, ex illis hoc potissimum, de Oraculo Dodonæo quod agit, fragmentum dilucidius proponendum atque elimandum sibi sumsit.

Tametsi vero interpretationem triplicem, Samuelis puta Tennulii, Abrahami Berkelii, Thomæque de Pinedo Lusitani, quorum studia hæ-

tenus

tenus fragmentum idem non parum sollicitarat, textui Græco ad junxerit, inter versiones singulas accurata collatione instituta; in Exercitationibus tamen suis hunc interpretandi laborem frustra suscipi contendit, & Josephi Scaligeri sententia, & Salmasii exemplo, consilium vertendi hujus Lexici, quod ante formaverat, abjicientis, & Casauboni auctoritate fultus. Totam siquidem literaturam apud Græcos, eoque & Grammaticam, nihil quondam fuisse censet, nisi explicationem Iliados & Odysseæ. Grammaticum igitur hujusce generis cum egerit Stephanus, videre sese, quomodo e dignitate interpretatio aliqua eidem possit addi, in tantum negat, ut inani interpretatione obscurari potius, quam illustrari Stephanum arbitretur.

De regione, ubi sita Dodone fuerit, sic sentit, ut non in Perrhæbia, nec in Thesprotia; quod *Ludovico Nonnio* forte ad *Graciam Goltzii* placuerat; sed in Molottide, Epiri provincia, universæ Hellados origine & Metropoli, positam fuisse statuat. Semper enim urbem hanc in Molossorum fuisse potestate, & oraculi Dodonæi possessionem Epirotis fuisse propriam, contendit: neque componi inter se sententias de situ dissidentes posse; quod alias facere instituerat *Jacobus Palmerius a Grentemesnil in Antiqua Græcia*. Assertum hoc inter alia ex Epirotarum nummis confirmat, adversus modo laudatum *Ludovicum Nonnium in Commentario ad Græcos Goltzii nummos*, & *Petrum Seguinum in Numismatibus selectis*. In iis enim (typos eorum frons libelli exhibet) nunc Jovis Dodonæi faciem haberi, nunc Jovis & alterius fœminæ, nunc solius fœminæ: in altera autem nummorum facie nunc aquilam Jovis alitem conspici, nunc fulmen ejus $\sigma\kappa\eta\pi\iota\delta\upsilon\nu$, nunc bovem: & his omnibus circumvolvi coronam ex fronde querna: Muliebri vero facie, quæ in illis nunc appareat sola, nunc comitata Jovem, non Junonem, sed Dionem, seu Latinorum Venerem designari ex Strabone docet, Demosthene, atque Servio. $\Upsilon\prime\pi\omicron\phi\eta\tau\omega\nu$ deinde sive subvatum occasione, quinam primis temporibus oraculorum interpretes fuerint, virine an fœminæ, contra Strabonem & Origenem disputat, & quæ plura sequuntur istius generis.

Inferitur his quoque Exercitationibus *D. Stephani le Moyne* de hoc eodem oraculo sententia, in Epistola peculiari ad Autorem perscripta: qui inter alia, arbores istas vocales, & oracula reddita a columbis arbori insidentibus, originem traxisse conjicit ex variis Sacræ Scripturæ histo-

riis, male habitis & interpolatis. *Eduardi* denique *Bernhardi*, Mathematicum apud Oxonienses Professoris *Annotationibus* ad aliquot hujus fragmenti loca, aut intacta, aut ab aliis Criticis male tacta, libellum, hunc concludit: ut vel hinc intelligatur satis, quam fecunda opinionum & conjecturarum mater Scriptorum ista veterum nutricula existat.

*DES REPRESENTATIONS EN MUSIQUE
anciennes & modernes.*

a Paris 1681. 12.

De

Dramatibus musicis Veterum & hodiernis.

DRamatum, quæ cantu, adhibitis instrumentis musicis decentique corporis motu peraguntur, genera, naturam & originem, ex ultima antiquitate & inde usque ab Hebræis deduxit, & omnia, quæ hodie in iisdem recepta sunt, jam olim adhibita fuisse, exposuit in libello hoc *R. P. Menestrierius, e Soc. Jesu*, qui majus Opus, cujus isthæc particula quædam sit, universam imaginum sive iconicam Philosophiam, verborum puta, actionum, & rerum exhibiturum, se moliri in præfatione indicat. E sacra autem & profana historia veteri dramatum hujusmodi complura affert exempla, unde constat, antiquissimis temporibus receptum fuisse eorum usum, nec seculi demum hodierni ea esse inventum. Eorum enim rudimenta in Davidis Psalmis & Jobi libro se reperire affirmat: siquidem in istis modo David ad Deum, modo Deus ad Davidem, modo hic ad gentem suam sermonem convertat, & preces, imperium, minas, planctus, gratias, laudes, exhortationes miscat, omnesque animi motus, ad quos purgandos dramata comparata sunt, exprimat; in hoc vero, Dei cum dæmone, Jobi cum Deo, conjugæ & familiaribus, horumque inter se mutua colloquia dramatis speciem præ se ferant, cujus autorem nonnulli agnoscant Moysen, qui ad consolandos Israelitas in calamitatibus Ægyptiacis istud composuerit. Illustre autem dramatis musici exemplum præbere Salomonis Canticum Cantorum, cujus partes examinat, & ad musicorum ludorum scenicorum leges plane comparatas eas dicit: unde a nonnullis istud Epithalamii speciem habens, dicente Origene & Hieronymo, in modum dramatis compositum a Salomone existimari, quod primum editum fuerit, cum is nuptias celebraret cum Pharaonis filia. Ab Hebræ-

is ac-

is accepta dramata adeo feliciter excoluisse Græcos, quorum lingua ad musicam æque ac poesin quavis alia longe aptior sit, ut admirandos plane effectus ediderint: quapropter omnia poemata, Lyrica non saltem, verum etiam Epica, in Græcia a Poetis, qui ea conscripserant, decantata, exemplo Hesiodi & Homeri probat. A Græcis ad Latinos siue Romanos, qui in omnibus Græcos æmulati sunt, derivatum hoc studium, minus tamen excultum dicit, quod horum lingua musicæ parum apta sit. Tria autem hujus genera obtinuisse docet: unum naturale seu *diatonicum*, quo carmina epica recitabantur; alterum figurarum siue *chromaticum*, quo Lyrica accedente instrumentorum sono cantabantur; tertium *enharmonicum*, quo affectus & animi motus concitabantur, usitatum cum primis in theatris, & dramatis inseruiens. Confert cum tribus his musices generibus artis pictoriæ diversas species, & a triplici vocis motu desumpta ea tradit. Is enim cum vel continuus, vel diastematicus siue intervallis discretus, vel medius sit: isto *loqui*, illo *canere*, hoc vero *legere* nos asserit. Lectionem sane medium inter loquendi & canendi rationem obtinere locum, e Quintiliano ostendit, qui Lib. I. Inst. Orat. c. 8. lectionem ita formandam esse præcipit, ut neque profæ similis sit, neque tamen in canticum dissolvatur; Dionysio item Halicarnassensi, qui legentium vocem a communi sermone distinguit. Epica igitur poemata nequaquam ad modos cantici hymnive decantasse Veteres, vocem tamen inter pronuntiandum inflexisse, & modo intensiore, modo submissiore ea recitasse indicat, ea ferme ratione, qua in Ecclesia hodiernum Evangelia, Epistolæ, Passionis item historia a diversis personis diverso & vario vocis habitu flexuve, in Officio Missæ, singulis item Dominicis & Festis diebus canuntur: unde factum, ut hi ipsi cantus *Lectiones* appellarentur, v. g. Lectio sancti Evangelii, Lectio Epistolæ B. Pauli &c. Choros etiam in Ecclesia receptos esse, alternisq; cantibus certatum: cujus rei originem a temporibus Ambrosii & Augustini repetit, & ex Sidonio Apollinari antiquum Antiphonarum Psalmorumque alternis choris cantatorum ostendit usum. Quem a dramatica ratione non abludentem apud Judæos olim receptum fuisse, e puerorum illa apud Matth. XI, 17. Luc. VII, 32. exprobratione probat, qui in funeribus cantu naniarum ad planctus, festis diebus tibiæ sono ad saltum socios suos invitabant. Ad dramata tamen musica non solum cantum, sed & actionem requiri

Ff 2

& de-

& decentem corporis motum gestusque docet. Cumque olim Comœdia & Tragœdia solo cantu in honorem Bacchi instituto peracta sit, cuius priscae Comœdiæ imaginem adhuc ludus quidam Divionensis referat, postea accedente actione consummata fuisse Dramata. Cujus actionis originem a ludis Pythiis accersendam, quibus draconis Pythii ab Apolline interfecti spectaculum exhibebatur, superioris seculi anno octogesimo nono, in honorem Ferdinandi de Medicis III Hetruriae Ducis, matrimonio sibi jungentis Christianam Lotharingam, a Jo. de Bardi Comite Vernio in theatrum iterum productum, e Julio Polluce asserit; & ad istius ludi modum plures in Græcia fabulas, Niobis puta, Orestis, Oedipi, Canacis, Herculis furiosi, Hectoris moribundi, & similes instructas ait: in quibus modo unus cecinerit, quod Græci *monodiam*, Latini cantum appellant; modo duo vel tres sibi invicem responderint, quod *eclogam* vocarunt; modo plures, ut in *choro* simul cantarint. Huic actioni & cantui intermixta fuisse varia instrumenta docet, cum primis tibias, quarum frequens in argumentis Comœdiarum Terentii mentio, quod Claudius Flaccus Claudii F. modos fecerit tibiis modo paribus, dextris & sinistris, modo imparibus; quæ qua ratione ab eodem simul inflari potuerint, ostendit, de reliquis etiam adhibitis musicis instrumentis differit, & quam admirabilem vim vocis & instrumentorum sonus habeat in animos hominum, quamque studiosi Græci fuerint in eo efformando, & structura vocalium Diphthongorumque in verbis attemperanda affectibus, & ad eosdem accommodandis carminum generibus docet. Quo loco de tympanorum in præliis ad animos militum excitandos adhibitorum ulu, diverso item apud diversas gentes eorum pulsu differit, adversus Isaacum Vossium tamen, qui in libello *de cantu & viribus rhythmis* p. 132. cæteris instrumentis vim concitandorum sedandorumque; animi motuum adimere, solis tympanis relinquere videtur, contendit, iis etiam instrumentis quæ inflantur, aliis item, quæ tanguntur tendunturve, haud minorem efficaciam tribuendam esse, ut tibiis, tubis, fistris, testudinibus &c. Qua in arte scienter instrumentis canendi Græcos olim reliquas nationes præstitisse, numerosque & rhythmum, tam vocis quam instrumentorum, rectissime calluisse, multitudinem terminorum, quibus varios sonorum, & tonorum, concentuum, aliarumque vocis & soni affectionum modos exprimunt, indicare. Linguam eorum propterea præ cæteris idoneam fuisse ad cantu &

dra-

dramata: nec Gallorum tamen absonam esse, aut ab iis abhorre-
 rationem versuum homœoteleuton, quod putavit in libello *de cantu
 & viribus rhythmici* p. 33. Isaacus Vossius, quem confutat, & versuum
 consonas terminationes haud indecoram reddere plerarumque gen-
 tium poësin ostendit. Gallorum etiam linguam, quæ poësi & musicæ
 aptissima est, Dramatibus musicis prorsus convenire: quæ a Lullio
 (Monsieur Lully) ad summam gloriam evecta sint hoc seculo, cum eo-
 rum ortus in Gallia rudis admodum fuerit & Peregrinatoribus debea-
 tur. Hos enim e Terra sancta, Hierosolymis, Compostello, aliisque
 sanctis locis adventantes, in itinere sacros de morte Filii Dei, Sancto-
 rum vita, rebus gestis, miraculis, & martyrio, extremo item iudicio
 hymnos composuisse, quos in patriam reversi coram plebe, ut ad pieta-
 tem eandem converterent, cecinerint: mox in Italia & Gallia theatra
 extruxisse, & cantus actionibus vivis ac gestibus adjuvissse, piosque hos
 theatrales, simplices latis, ludos in honorem Principum & Regum,
 quandoque institutos esse. Has Musicæ dramaticæ reliquias, a piis in
 Ecclesia hominibus conservatas, ante ducentos quasi annos Cardinali
 Riario, Sixti IV Pontificis Nepoti, primum ad eadem in Italia restau-
 randa theatrum ut extrueret, occasionem suppeditasse, juventutis exer-
 cendæ gratia, ex epistola nuncupatoria Sulpitii, Vitruvio præmissa,
 probat. Haud ita multo post profana argumenta in scenam prolata e
 nuptiarum Galeatii Mediolanensium Ducis & Isabellæ Arragoniæ,
 in quibus mimorum, cantorum & histrionum cantibus ludisque vete-
 res Poëtarum gentilium fabulæ exhibitæ fuerint, a Tristano Calcho
 facta descriptione, ostendit, alia item spectacula theatralia musicaque
 ab isto tempore in Italia edita, enarrat. In Gallia primos ejusmodi lu-
 dos in Lutetiæ suburbiis Jo. Ant. Bayssium, Lazari Bayssii filium, institu-
 isse, inque sua domo ad hos usus Academiam condidisse, refert: varia in-
 de horum ludorum in Italia, Gallia & Hispania editorum exempla re-
 censet; sed cum Italica lingua solum etiam in Gallia dramata hæc com-
 posita fuerint, primum Perrinum Gallica lingua, exprimendis affecti-
 bus æque idonea, ea composuisse, & cum Marchione Sourdiaco ac Cam-
 berto theatrum extruxisse, in quo intra septem octove annos musica
 spectacula scenica exhibuerunt, quæ machinarum, vestium, & reliqui
 apparatus magnificentia, versuum rotunditate, musicesque deliciis,
 atque ornamentis aliis, Itatorum sic dictis *Operis* nil quicquam concess-

Ff 3,

ferint.

ferint. Utque studium hoc tanto rectius excoleretur, a Rege Christianissimo Ludovico XIV Perrino & Lullio potestatem concessam esse, datis publicis privilegiorum d. 28. Jun. Anno 1669 signatis tabulis, erigendi Parisiis Regiam Academiam Musicam, in qua omnia, quæ ad dramata & theatrales ac musicas artes spectant, exactius curiosiusque investigentur. Hæc ita postquam exposuit Auctor, de spectaculis ludicris in conviviis illustribus, quæ eduntur, splendidis item operibus, quæ sub Quadragesimale tempus fiunt, nec non in Germaniæ aulis recepto isto ludi inter illustres genere, quo omnis conditionis ac status hominum personas sibi sumunt magnates, *Wirtschaft* vulgo dicti, differit: spectaculorumque in Sabaudia aliisque locis exhibitorum historia opusculum suum pertexit,

SOLUTIO THEOREMATUM








Ab illustri Viro in Actis hujus Anni Mense Januario, pag. 28. propositorum, data ab Adamo Adamando Kochanski S. J. quondam Pragensi Mathematico.


TAB. XII.

DUPLICATIONEM Trigoni Isogoni, citra Proportiones demonstrandam P. Sigismundus Hartman e Soc. Jesu, publico Programme proposuerat, istudque Schediafma mihi pro veteri necessitudine transmisserat e Bohemia in Poloniam. Reposui humanissimo Authori solutiones fere vicenas, ab eo sic probatas, ut una cum aliis, aliunde ad se missis, in lucem daturus fuisset, si Parcæ Viro tanto perpercissent.

Cum vero his primum diebus in manus meas venerint Acta Eruditorum Lipsiensia, & in his Solutio problematis illius Hartmanniani, a quodam illustri viro data, & ad P. Coppilium, defuncti in Mathematici munere successorem, quodammodo directæ, quasi is editioni posthumæ operum Hartmanni, maximeque *Protei Geometrici*, ab eo nuper promissi incumberet; cum tamen ab obitu Authoris elaboratum nihil, sed prima solum Operis lineamenta reperta fuisset mihi ab Amicis nunciatum fuerit; Eamobrem non ægre laturum spero P. Coppilium, si dum illum alio in opere fructuose versari intelligo, ego hic ejus partes occupare ausus fuero: non enim id temere, aut prædenter egisse videbor, sed veluti jure quo-

TAB. XII ad A. 1682. pag. 230.





qu
Pr
ter
riu
mū
me
am
qua
ny
pro

C
exi
Rec
gon
ter
ad
niv
duo
nia,
ten
Sec
tem
fun
fines

C
vide
gon
dem
rum
Hac
lepip
sua T

quodam antiquitatis; quod videlicet ante illum in eodem Matheseos Pragenfis pulvere quondam Professor fuerim versatus; adeoque prior tempore, licet non eruditione.

Dilatatis autem in aliud tempus meis illis Duplicationum Particularium, & Universalium Solutionibus, una cum Pythagoricæ nova, ac multiplici Demonstratione, cæterisque meis considerationibus Geometricis, usque dum ultroneam Typographi, vel Bibliopolæ cujuspian humanitatem invenerint; suffecerit hoc loco strictim ea persequi, quæ pertinent ad geminum illud Theorema Geometricum, quod Anonymus ille Problematis Hartmanniani *δεξιτης* loco sup. memorato proposuit.

ARTICULUS I.

Circa primum illorum Theorematum consideranda veniunt sequentia. Inprimis dissentire me in eo ab *Illustri Viro*, quod is existimet Theorema Pythagoreum continuari in Sphæra, Pyramidem Rectangulam circumscribente; cum nec Pythagoras suum illud Orthogonium, tanquam circulo inscriptum consideraverit, nec, si universaliter agamus de potentiis cujusvis Trianguli, hæc consideratio proprie ad Circulum pertinere videatur, sed potius ad Parallelogrammum univèrsim; quando videlicet istud Diametro sua sectum concipitur in duo Triangula æqualia, eaque Orthogonia, Amblygonia, vel Oxygonia, pro diversitate parallelogrammi; Harum enim Diametrum Potentiæ cum suis lateribus comparantur 47. *Primi*, nec non 12. & 13. *Secundi Elem.* Universalius autem hoc ipsum consideratur 31. *Sexti*, saltem quoad orthogonium Triangulum; nam quoad reliqua, videri possunt ea, quæ demonstrat Clavius e Pappo, in *Scholio ad 47. Primi, ad finem.*

Quamobrem non ineleganter fluente Analogia, nobis dicendum videtur, Pyramides Triangulares Orthogonias, Amblygonias, & Oxygonias, cum suis laterum, ac diametrorum Potentiis, immediate quidem reduci oportere ad Prismata sua, bases triangulares habentia, quorum Pyramides illæ sunt partes tertiæ per *Prop. 7. Duodecimi Elem.* Hæc ipsa vero Prismata, tanquam partes revocantur ad totum Parallelepipedum, cujus sunt medietates. Istas porro relationes partium ad sua Tota intelligi volumus de ordine *Doctrinæ* potius, quam *Naturæ*,

con-

constat enim, Triangulum esse prius, ac simplicius Parallelogrammo, non minus ac Pyramidem Tetrahedram Prismate, vel Parallelepipedo: Hinc $\delta\omicron\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\alpha\varsigma$ rem spectando, & ipsæ Linearum Potentiæ, non Triangulis æquilateris, sed Quadratis, omnium consensu taxantur, licet illa sint istis priora, magisque simplicia.

Quamvis autem Pyramidum Polyhedrarum aliæ inscribi possint Sphæris, aliæ vero Sphæroidibus, ac tum Potentiæ laterum conferri cum Diametro corporis circumscribentis: eadem tamen Pyramides adhuc secari poterunt in Tetrahedras, atque ita Prismatibus suis, ac tum Parallelepipedis veluti postliminio quodam restitui. Si quis nihilominus omnia Trilatera a Quadrilateris, omnia Tetrahedra a Pentahedris, & Hexahedris emancipare contenderit, cum eo nequaquam cruento Marte dimicabimus.

PROPOSITIO I. Theorema.

In omni Pyramide rectangula, tria Quadrata laterum, Angulum rectum in vertice comprehendentium, æqualia sunt Quadrato Diametri totius Parallelepipedi æque alti, Pyramidem illam complectentis.

Si Pyramis ABC rectangula ad verticem D. sive jam sit *Æquilatera*, sprout in Cubo *Figura I*, sive *Isosceles*, ut est in *Fig. II* Parallelepipedo, supra basin quadratam ADCF assurgentis; sive demum *Scalena*, qualem exhibet in *Fig. III*. solidum rectangulum, supra basin ADCF altera parte longiorem, erectum.

Dico, tria Quadrata DA, DB, DC æquari Quadrato Diametri AE, per oppositos solidi angulos incedentis. Nam primum in Triangulo ADB angulus D rectus est, ex hypoth. Igitur Qu. lateris AB æquatur (*47.1. Elem.*) Quadratis AD, DB duorum laterum datæ Pyramidis. Deinde Triangulum pariter ABE rectangulum est ad B. (id ostendi potest *per 4. Undecimi*) Quocirca Quadratum AE æquabitur Quadrato AB, hoc est duobus DA. DB, & insuper Quadrato BE, hoc est ipsi æquali DC, quod est tertium latus datæ Pyramidis ABCD.

Tria igitur omnis Pyramidis rectangulæ latera, potentia æquantur Diametro Parallelepipedo Pyramidem continentis, q. e. d.

Corollarium I.

Colligitur hinc, in omni Prismate rectangulo ACDBGA, cui bas

sis est

sis est Orthogonium Triangulum ADC, ejus Parallelogrammi rectan-
guli AGE C, quod angulos D & B rectos subtendit, Diametrum AE
potentia æquari iisdem tribus lateribus Pyramidis rectangulæ ABCD:
eo quod ipsa DE sit eadem omnino cum Diametro totius Solidi GC.

Corollarium II.

Hinc quoque manifestum est, Diametrum Sphæræ, quæ Pyramidi
rectangulæ ABCD circumscripta est, æquari potentia tribus lateribus
ejusdem Pyramidis, rectos angulos constituentibus in vertice D. Nam
cum omni solido rectangulo Sphæra circumscribi possit, non minus
ac Circulus ejus basi rectangulæ, erit Diameter solidi eadem omnino
quæ circumscriptæ Sphæræ, per ea, quæ Pappus demonstrat *Lemmate*
4. apud Claviuum ad calcem Lib. 16. Elem.

Si cui placuerit in simili materia ingenium exercere circa Pyrami-
des Triangulares, tam Acutangulas, quam Obtusangulas, itemque mi-
xtis in vertice angulis contentas, in illis Potentias laterum cum Dia-
metro totius Solidi obliquanguli comparando; id vero non difficulter
poterit expedire ope duarum Propositionum, videlicet penultimæ, &
antepenultimæ *Lib. Secundi Elem.*

ARTICULUS II.

Circa alterum Theorema percontatur *Illustris Vir*, an sicut in Cir-
culo unica Media Proportionalis, ita etiam insistendo Analogiæ
in Sphæra duæ Mediæ inveniri possint? Ad hanc quæstionem Respon-
deo I. Nec Antecedens Analogiæ hujus tam ratum esse, ut absolute
loquendo, Circulus duas Medias excludere pronunciarî possit, aut de-
beat: Fieri namque potest, ut in Semicirculo ACD (*inspice Fig. 4.*)
continuæ sint AB. BC. BD. DA. cujus Problematis Geometricam con-
structionem Mathematicum peritis propono, interim vero Arithmeti-
cam sequentibus numeris expono. Ponatur enim

Diameter	AD.	- -	200000	00000
erit	AB.	- -	63534	43923. +
	BC.	- -	93114	24637. +
	BD.	- -	136465	56077. —

Unde per 19. Septimi Elem. erunt æqualia Rectangula

DAB.	- -	1	27068	87846	00000	00000
CBD.	- -	1	27068	87846	55798	69049.

Gg

Et

Et per 20. ejusdem, Quadrata mediarum æquabuntur Rectangulis sub earundem extremis.

□. BC.	- - -	86702	62877	05305	81769.
ABD.	- - -	86702	62877	72943	70071.
□. BD.	- - -	186228	49276	27056	29929.
ADBC.	- - -	186228	49274	00000	00000.

Respondeo II. De analogia illa nihil certi statui posse videtur: Unius enim Mediæ inventio, quæ Circulo tribuitur, etiam Sphæra congruit; & inventio duarum Mediarum, hic a nobis demonstranda, æque ad Circulum sicut & Sphæram aptari poterit, quemadmodum ex dicendis constabit.

PROPOSITIO II Theorema.

In Circulo ADC a Diametro AC descripto ducantur utcunque ad Peripheriam duæ rectæ AD DC: tum ex D cadat ad AC perpendicularis DE; similiterque ex E sit ad AD normalis EF.

Dico in Circulo ADC haberi Quatuor continue Proportionales, AF, AE, AD, AC. Describatur enim Diametro AD Circulus AGDE, quem EF producta secet in G, & connectantur GA, GD.

Demonstr. Recta AD subtendit Angulum rectum DEA. Igitur Circulus AGDE diametro AD descriptus transit per verticem Anguli recti DEA, *juxta Schol. Clavii ad 31.3. Elem.* Est autem recta EFG perpendicularis ad Diametrum AD. Ergo *per 3.3. Elem.* tota EG bifariam secatur in F. Triangula igitur AFG, AFE orthogonia in F, sunt *per 4.1. Elem.* invicem æqualia: Eademque de causa æquantur Triangula DFG, DFE, ac proinde & totum DGA toti DEA æquale. Jam sic. In Orthogonio AED (par ratio de æquali AGD) ab angulo recto E cadit perpendicularis EF in basin AD: Ergo *per Coroll. 8.6. Elem.* Proportionales sunt tres AF, AE, AD. Sed eadem de causa in Orthogonio ADC duabus postremis e præcedenti serie, videlicet AE, AD, proportionalis est tertia AC. Igitur omnes quatuor AF, AE, AD, AC sunt in continua Proportione intra Circulum ADC. q. e. d.

Corollarium.

Non difficulter hinc elicitur, easdem quatuor continuas in Sphæra quoque concipi posse, non modo prædicta, sed & alia ratione: Fingamus enim a Sphæra ADC auferri Segmentum AHDA, cujus basis erit

Cir-

Circulus a Diametro AD, cujus medietas esto AGDA. Ductis autem Orthogonalibus DE. EF. in plano Circuli Sphærae maximi ADC, nec non Orthogonalibus FG, in altero plano Semicirculi AGD, hoc est basi Segmenti AHDA, jungatur AG: erunt enim ut antea, quatuor AF, AG, AD, AC continue proportionales. Id patet e præcedenti discursu, qui non difficulter huc applicari poterit, licet plana Circulorum ADG, AGD sint diversa, & ad rectos invicem collocata.

Notandum vero est, Theorema præcedens, loquendo pressius, non tam Semicirculo, quam Orthogonio cuilibet in similia subdiviso convenire: quia tamen ejus Demonstratio sequentibus inserviet Problematibus, visum est illud hoc loco tantisper indulgere Circulo, sine quo illa absolvi non possunt.

PROPOSITIO III. Problema.

Inter duas datas, duas medias in continua ratione, duobus tantum digitis reperire.

Celeberrimum illud Problema Deliacum quot & quanta totius Orbis eruditi exercuerit ingenia, Geometris est notissimum, ut & variae illius absolvendi Praxes Organicae, a compluribus excogitatae, quarum aliae aliis sunt operosiores: Nostra hæc videri poterit non nihil Paradoxa, quod duobus tantum digitis unius manus absolvatur, cum nonnullæ requirant, & occupent utramque.

Datae sint, in *Figura VI.* duæ AC, AB, quas inter duæ mediae quaruntur. In communi utriusque termino A figatur Regula AZ, instructa Curse FY, qui semper insistat ad rectos ipsi regulæ AZ, idque firmiter, ubicunque collocetur. In illa sumatur AF æqualis datæ AB, minori altera AC. Descripto autem super tota AC Semicirculo ADC in plano quopiam verticali, hoc est ad Horizontem recto, cui æquidistet Diameter AC: applicetur ad Peripheriam ADC stylus quidam gracilis DS, e quo deorsum propendeat filum subtile cum appenso pondere X, vel certe hujus loco regula quædam subgravis, accurate tamen æquilibrata: Nam si Stylus DS duobus digitis apprehensus pedetentim promoveatur per Circumferentiam AD, usque dum Perpendicularum DE cum Curse FE sese mutuo interfecent alicubi in recta AC, velut in Puncto E: istud probe notatum offeret quatuor Proportionales, quarum

G g 2

duæ

duæ AE AD inter datas extremas AF hoc est AB, nec non AC interponentur.

Demonstratio Problematis hujus quoad rem, eadem est cum adducto præcedenti Theoremate.

PROPOSITIO IV. Problema.

Id ipsum aliter, una Circini apertura.

Quoniam præcedens praxis ob situm plani verticalem, & usum Perpendiculari, non nihil impedita cuiuspiam videri possit, quin & a Geometriæ moribus aliena, dabimus alteram, prædictis incommodis haud obnoxiam.

Positis iisdem, in locum perpendiculari DEX Figuræ præcedentis, subrogetur *in hac Figura VII* Parallelogrammum materiale KLMN, cujus unum Latus KL fixum sit in plano, alterum vero MN mobile, semper tamen ad rectos ipsi AC. Nam si tota AC divisa bifariam in O Circini pes unus figatur in O, alter autem intervallo OC diductus, tamdiu in Arcu CD provehatur, impellatque binas Regulas AZ & MN in puncto intersectionis D, usque dum regula MN, Cursorem FY secet in puncto E, posito in recta AC, obtinebuntur eadem mediæ AE. AD. longe commodiori ratione, quam fuerit præcedens: quæ tamen ipsa, si Figura magnæ molis fuerit, in vasto quopiam pariete usui esse poterit Architectis.

Non est cur hoc loco moneam de circino, ejusque Cruribus in regula quapiam mobilibus; nec de acie pedis alterius, quæ regulas in puncto D subtiliter impellere debet; nec denique de nisu quodam regularum AZ, MN contra Circinum; hunc enim vel ipsarum regularum pondere, vel Elatere quopiam, aut unius digiti impulsu consequetur ingeniosus quivis, ac istis etiam nostris longe meliora excogitabit.

Benevole Lector, præmissam R. P. Kochanski solutionem cum Illustri Viro, (cujus sunt Theoremata

Act. p. 28.) communicassemus: placuit Eidem sequentia, cogitatis R. P. subnectenda Nobis trans-
mittere.

Ad

Ad Art. I.

Si *R. Patri* visum fuisset, Pyramidem rectangulam tanquam Sphæ-
ræ inscriptam contemplari, per corpora composita non quævisset,
quod invenire proposueram per simplicia: unde porro mox in limine
a me dissentire, continuationemque Theorematis Pythagorei impu-
gnare necesse non habuisset.

Quippe methodo in demonstratione priori usurpata, Pyramidem
rectangulam demonstrari, cæterasque simplices (i. e. triangulatas) o-
mnes tractari; h. e. methodum dictam ad præsens negotium continu-
ari posse, certissime comperisset.

Quo ipso, inter alia, edoctus fuisset:

*Dato Circulo, datoque plano (determinato tamen) invenire omnia
Triangula (h. l. oxygonia) circulo dato inscriptibilia, quorum trium la-
terum quadratorum summa æqualis dato plano:*

Ex quo omnes Pyramides rectangulas possibiles, dato circulo cer-
tæque Sphære inscriptas inveniri certum est.

Pro inveniendis autem duabus mediis proportionalibus datæ sint
extremæ ad angulum rectum: circumscribaturque circulus, & consti-
tuatur supra majorem extremarum Triangulum in circulo, cujus se-
gmentum baseos minus, sit media inter perpendicularem & minorem
datam (sub inventis vero supra omnibus Triangulis, & hoc necessario
comprehenditur) Dico: duas medias æquales esse duobus lateribus,
singulas singulis, Pyramidis rectangulæ, supra basin triangularem in
circulo descriptam. Inventæ ergo sunt, inter duas, binæ mediæ
proportionales, & quidem per Pyramidem rectangulam Sphære in-
scriptam.

Notandum verò: me, ut ut binas medias in plano minime quæsi-
rim; quatuor tamen continue proportionales, quod extorquere *R. P.*
videtur, circulo nequam exclusisse. Ingenium porro in simili ma-
teria ad nutum *R. P. ope ult. & penult. II. Eucl. exercituro*, unam e
facilimis Propositionem:

*Data Basitriangulari (Oxygonia) datisque tribus angulis ad verticem
Pyramidis (h. e. angulo solido) invenire Pyramidem:*

Si non difficulter fieri possit ex dictis duabus Propositionibus, Ty-
roni solvendam propono: mihi interim ea post 23. l. XI. demum lo-
cum habere videatur.

In hoc insuper, circa Pyr. oxygonias, amblygonias & mixtas, ope corporum compositorum tractandas, exercitio, R. Patri aliis duobus corporibus, præter tria fig. prioribus expressa, opus erit: quorum suprema infimaque hederæ, trapezia sint, circulo inscripta; ipsa vero corpora, ut non parallelepipeda, Sphæræ tamen inscriptibilia.

Ad Art. II.

Propositio a R. Patre Mathematicum peritis proposita, unius saltem est casus, adeoque singularis; consequenter ad cæteros casus, inveniendis binis mediis nihil confert. Solutioni ejus arithmetica ab ipso R. P. exhibitæ sequentem jungo analyticam:

Sit in data Fig. IVta $AD = a$; sumaturque $EB = x$; & erit $x^3 = 3ax^2 - 7a^2x + 3a^3$. aut etiam,

4 Cubi $AD + 3$ Cubi BC , æquales 8 Cubis $BD + \frac{1}{2}$ Cubo AB :

Plane Geometricam a R. P. exspecto: Interim in proposito ab *Ipsa* casu singulari

Angulus BEC	}	semper est	{	0	I	II	III	
Ang. compl. BCE			68.	36.	49	42.	+	
			{	21.	23.	10.	18.	—

Propositionem secundam, cum ad continuandam seriem continue proportionalium, quam inveniendas binas medias magis pertineat, atque sic extra quæstionem sit, non tango; ut nec III iam & IVtam; quippe obviis ubique plurimis talibus Instrumentis Mechanicis, ipsoque proposito (immutatis tantum leviter materialibus) apud *Dn. de Cartes* l. 2, p. 20. *Geom. edit. novæ*, & quidem pro inveniendis infinitis intermediis.

FALSITAS SYSTHEMATIS COMETARUM

Bernoulliani Calendis Junii pag. Act. 178. seqq. propositi, a *Dn. Montreo* Matheseos in Collegio Regio Francia, in cathedra Rami, Professore demonstrata.

Ex Diario Eruditorum Parisiensi XIII. d. 25 Maji, 1682.

Systema *Bernoullianum*, prima fronte ingeniosum, nihilominus Sadeo naturæ legibus repugnat, ut dubitare liceat, num *Auctor* in suo libro serio locutus fuerit. Nam

I. Cur Planetam F (Vide Tab. X. Act. Fig. I. & II.) quem in centro Epicycli Cometarum collocat, ob ingentem distantiam, suamve exiguitatem invisibilem facit? nonne vero similis est, illum ad Vorticem suum eum respectum habere, quem Jupiter & Saturnus ad suos? Et si oculi nostri eum detegere nequeunt, ad minimum Tubos majores non effugiet. Cometis enim prope lineam, centra suppositi Planetæ & Solis jungentem existentibus, futurum omnino fuisset, ut Tubis versus Cometas directis, Planeta centricus deprehenderetur. Porro quemadmodum idem Planeta revolutiones suas circa Solem sæpius reiterat, easdemque intra 4 annos, 157 dies absolvit; sic frequenter idem stellas Fixas nobis occultaturus esset, perinde ut identidem alii Planetæ faciunt: quod cum de Planeta hoc centrico nunquam observatum sit, conjecturæ locus est, eundem non nisi in imaginatione *Astronomi hujus* existere. II. Difficile est cum *Auctore* credere: Planeta centrico Cometarum brevi adeo tempore revolutionem suam absolvente, Cometam anni proximi 38 annos, 147 dies ad percurrendum epicyclum suum insumere. Nam si Planeta F, *Dn. Bernoulli* fatente, a G (*dextro*) ad G (*sinistrum*) non fertur, nisi Vortex GGV, qui eum involvit, propellatur secundum eandem determinationem per Fluidum, quod omnes alios Planetas defert, & motum suum a Sole recipit: videtur, quod, cum radius hujus epicycli minor sit radio orbis Planetæ F, via per consequens brevior sit, ac breviori spatio percurrenda. Insuper sicuti Fluidum, quod propellit Vorticem circa G (*dextrum*) versus G (*sinistrum*) majorem circulum describit, quam Fluidum, quod per punctum R propellit; sequitur, quod celerius debeat progredi, quodque adeo circulatio epicycli circa centrum F, velocior esse debeat vectioe Planetæ F circa Solem.

III. Ex hypothesi *Dn. Bernoulli* Vortex se moturus esset secundum seriem signorum, & per consequens Cometæ, non nisi in Perigeo suo, & circa visibiles, apparituri essent contra seriem signorū incedentes. Nam Fluidum, quod venit a latere G (*dextri*,) juxta inclinationem, quam omnia corpora habent, recedendi a centro motus sui, magis progressurū esset a G (*dextro*) versus locum supra ZY, quam ut ad V deflecteret: & per consequens, ipsum illud Fluidum, Vorticem in easdem partes tracturum esset, cum illum fortius per G (*dextrum*) ad locum supra ZY, quam per V ad G (*dextrum*) impellat; quippe quod conforme est Vorticibus, quos circa Planetas observamus. Jam sicuti Cometæ secundum

dum omne genus determinationum se movent, necesse est Vorticem illum mere esse imaginarium.

IV. Satis apparet, non multum constare *huic Mathematico* suas hypotheses. Præterquam enim, quod Planetæ omnes in fumos redacti non suffecerint fortassis ad caudam nuperi Cometæ formandam, quam *Ipsè* 70 gradus circuli magni occupasse affirmat; cum Planetæ illi omnes probabiliter Vortices circa se habeant, quales Terra, Jupiter & Saturnus: convenientius est rationi, exhalationes illas ab *Autore* suppositas, cum non nisi fluidum quid sint, motum Vorticum suorum potius esse secuturas, quam ut ab iis recedant, & ad extremitatem usque Vorticis Solaris penetrent. Verum, ut vel maxime eo usque pertingant, impossibile tamen est, eos circa Cometæ formam disci constituere: quoniam enim undecunque a fluido, cui innatant, premuntur, evidens est, eas super totum Cometæ corpus se expandere, ibique speciem Atmosphæræ, qualem aer circa terram, constituere.

V. Sed his omnibus *Autori* concessis, fieri nequit, ut sola pars disci, quæ versus L (Fig. I.) est, visibilis existat. Cum enim discus ille sit corpus asperum, ex innumerabilibus parvis corpusculis, quorum quodque pluribus exiguis superficiebus terminatur, compositum; sequitur inde, quod quaquaversum lumen possit reflectere, seque adeo visibilem exhibere omni puncto Orbis terræ annui, Sole aliove corpore non intercedente. Si *Dn. Bernoulli* sustinere vult, superficiem disci esse omnino planam, facile hoc casu demonstrari potest, eum, uno puncto excepto, plane esse invisibilem; nam præter radios a centro Solis emanantes, hic nulli alii sunt, sicut id in Catoptrica consideratur: certum autem est, ex diversis radiis, a corpore quodam polito ad nostros oculos reflexis, paucos esse, qui faciant angulos reflexionis æquales circiter angulis incidentiæ, quodque ideo speculum planum in magna distantia collocatum, prope invisibile reddatur. Ad oculum itaque in T constitutum, non nisi ex uno objecti puncto, radii remitti possunt. Eadem ratione demonstrari posset, comam Cometarum, radium suum caudæ postea apparenti æqualem habere; & præterea circa Cometam, loco caudæ, Ellipsin, cujus Diameter minor LM, conspici debere.

Sed facile quisque hoc concludere poterit ex principiis supra propositis.

